



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Additiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

dum, domicilia olim istorum Comitum, qui etiam dicti sunt de Frontenhau-
sen & Teyspach. De qua re latius in libro meo Stemmatum Bauariæ, ac supra in
Monasteriis, Gars & Avv. Lapidis sepulchrali fundatricis ita inscriptum est: Al-
haidis Comitissa de Marchnstein & Sulzpach, fundatrix hujus Ecclesie, hoc in
loco sepulta, obiit Anno 1144. Ecclesia consecrata est Anno 1165.

ADVOCATI hujus Monasterij fuerunt olim Comites Ortenburgenses, quo-
rum aliqui ibidem sepulti sunt, nempe Rapoto, primus huius nominis, Com.
Ortenberg. qui obiit Anno 1190. cum vxore Elisabetha, filia Berengerii primi,
Com. de Sulzbach, & Chastri fundatoris Bamburgen. &c. Auent. Autor est lib.
7. fol. 694.

IBIDEM in sinistro latere Chori lapis cum hac inscriptione: Anno 1206. o-
biit Anna Comitissa de Ortenburch, benefactrix hujus Ecclesie, cum filius, Ra-
porhone & Heinricho, Comitibus. Hæc vxor fuit Rapothonis primi, quæ aliàs
Elisabetha nominatur, de qua vide Stemmata mea Bauarica.

HINC in eo bello, quod hi Comites cum Bogenfibus Comitibus, ob limi-
tes, ob venationem atque ob Aduocatiam Monasterij inferioris Althageßere,
Pamburgium Monasterium, cum sub tutela Ortenbergen. esset, compilatum
est, secundum Auent. lib. 7. fol. 657.

TORRINGENSES Barones, qui non procul inde ad Traunam fluium duas
arces tenent, Stein & Perchtenstein, habent ibi in templi ambitu Capellam pro-
priam ac sepulturam.

IBIDEM in Calendario mortuorum (Nam alia diplomata non vidi) alios
quoque reperio Nobiles Ecclesie benefactores, & qui ibi sepulturam, anniuersaria ac memoriam habent:

DE Wart, de Pelching, de Tarching, Stetneri de Klebing, Virgoldi, Maut-
neri, Traunarij de Truchting, Hofmanni, Tuschelji.

HABUIT Monasterium hoc à multis annis Canonicos, præsertim Præposi-
tos, qui etiam Archidiaconi sunt, ex nobilitate, inter quos nostro tempore Ste-
phanus de Toblhaim bonus Oeconomus, qui ædificia Monasterij ruinosæ ex
fundamentis restaurauit, æs alienum soluit, prædia multa emit. Ac nihilominus
Anno 1579. moriens, magnam vim pecuniæ reliquit in vtilitatem Monasterij
postea collocatam.

ADDITIONES.

FVNDATIO MONASTERII PAMBVRG.

FVIT in *Bauaria* prouincia Comes Illustris prosapia *Chuno* vocatus omnibus
ejusdem prouinciæ nobilioribus sicut genere, sic & potestate sua diuitiis ex-
cellens cujus genuinus & cognationis & posterorum ejus postmodum commu-
nis locus vsque hodie *Vranthenbausen* nuncupatur. Qui Comes egregia libero-
rum procreatione fœcundatus, habuit dulcissimæ indolis filiam *Adilheit* voca-
tam, puellam miræ pulchritudinis, ita vt inter electissimas prædictæ terræ mu-
lières, quantum genere præstantior, tantum forma decentior appareret, quam
Pater tenere diligens, dum quia specie comparem filiam non reperit & virum
cui desponsaretur æque nobilem vel adeo perfectum inuenire desperaret, &
hæc hæsitacione quid faceret, quidnam animus eius pro filia desponsanda mul-
tumque diuque vacillans versaretur in dubio, diuina vt creditur permissione fa-
ctum est, vt hæc mentis ipsius non satis approbanda elatio in seipsam quid ef-
set recognoscendum retraheretur hoc modo. Quidam Comes. *Marcobardus* de
castro à nomine possessionis *Marcarslain* appellato ab hominibus præfati Co-
mitis quam plurimis incurfionibus & violentiis in se & in suis aspernanter &
contu-

contumeliose dehonestatus, nec tantum hæc à remotis vel eo absente, verum etiam ad proprium intuitum ignominiosè lacerat⁹ injuriis, dum vltionem ex-
 peteret de ijs, nec cui valens nec metu volens inestimabili & vtilitatis & hono-
 ris subjaceret discrimini, sapienti vsus consilio, sanius esse deliberauit malum in
 bono vincere, quam se cum suis à malo vincendos periculo committere, simul-
 que reputans stultum esse contra ictum fluij conari, maluit potentiori & for-
 tiori se sub specie familiaritatis obsequi, quam quod frustra obnitens, nitendo-
 que nihil obtinens, sed magis in deterius vrgens sua suorumque damna de cæ-
 tero semper multum vi pateretur. Per industrios itaque mediatores firmissi-
 ma inter eos compositione facta, obliuione sepeliuntur, quæcunque retro ir-
 rogata molestie, minorque majori tanquam vnus suorum in omnibus obse-
 quendo deferens. quietis & pacis gratia Comes comitem comitatur, cumque
 & ita se gerere nihilominus iudicaret inhonestum vt vir prudens quiddam ali-
 ud animo concepit, de quo jam non simulata sed perfecta, dilectio inter eos ter-
 tius haberetur, & forsitan maximum per hoc gloriæ poterat consequi incre-
 mentum, nisi maledicti hostis inuidia, vt postea nartabimus intercedente in no-
 uissimo benedictione caruisset diuina tantum clementia huic diabolica machi-
 nationi secus quam cogitauerat secundum immensam pietatis abundantiam,
 vt sequentia declarabunt misericorditer obuiauit. Prædictus igitur *Marco-
 hardus* Comes vt voti sui compos efficeretur ipsi Comiti *Chunoni* cui adhælerat
 cunctis sibi attinentibus in omnibus gestis suis gratiosum se reddidit & acceptum,
 præcipue tamen in exercitio militari, per quod etiam quia ignita puellarum
 corda viri affectantia cognitionem maximè acceduntur, contigit prænomina-
 tæ puellæ ipso procurante ad cõsensum amoris animum inclinari, sed nec quia
 furtiuum amorem diu celari nec patris permissione manifestum seu legitimum
 inter se conjugium fieri posse sciebant substructa venere coërceri laboriosum,
 æstimantes, cupitis etiã amplexibus libere frui iocundum reputantes de raptu
 & fuga inuicem condixerunt. Quo condicto ad effectum deducto Pater ægrè &
 plurimum indignans generum quidem minimè persequendum censuit, filiam
 verò non solum sponsali jure non ditauit, sed & omni patrimonio suo penitus
 exhæredauit: ijs ita gestis duo iuuenes præuigni Comitis *Marcohardi* cum quo-
 rum matre muliere quidem nobili ante dormire consueuerat dolente de matre
 relicta, quam licet absolutè amatam, jugiter tamen cum ipso sperabant fortè
 permanfuram. Duobus mensibus post peractas nuptias vix decursis in quo lo-
 co erat transiturus positus sibi insidiis ad mortem vsq; vulnerantes semituum
 eum reliquerunt. In extremo igitur vitæ suæ articulo nec grauissimi doloris a-
 cerbitate, nec metu mortis intercipientè recordatus & nouiter & breuiter ama-
 tæ conjugis suæ qualiter sui causa non modo patris demerisset gratiam, sed e-
 tiam inexorabilem incurrisset offensam secundum magnanimitatem constan-
 tiæ suæ acerrimi agonis aculeo non effractæ de desolatione nouæ nuptæ non
 minus quam de mortis amaritudine anxiabatur, metuens ne sicut eo viuente
 propria est hæreditate destituta; sic eo moriente suo quoque patrimonio eam
 privari, insuper etiam parentum solatio contingeret, orphanari; ad consoland-
 um ergo tam subitæ viduitatis desolationem prædictum castrum *Marcartsstain*,
 tum ministerialibus prædiis quoque & mancipiis omnibusque ditioni suæ atti-
 nentibus in manus sæpius dictæ conjugis suæ, quia hærede caruit libera traditi-
 one sub tali commissio delegauit: videlicet vt post mortem suam quò citius pos-
 set ob communem vtriusque memoriam de ipso patrimonio Cœnobium in
 honore beatæ *Margaretha* construeret, personis aliquot inibi Deo seruientibus,
 prædiis quantum necessitas exigeret ad tempus collocatis ipsa quoque defun-
 cta,

æta,

ita, idem patrimonium exceptis ministerialibus huic Cœnobio totaliter attineret. *Marquardo* siquidem Comite talem vitæ finem sortito Comes *Vadalricus* de *Paclavia* & præpotens ac prædiues, ita vt vulgò *Witrich* appellaretur, viduam ipsius duxit vxorem, per quam tamen solam filiam generans nomine *Viam*, *Engelberto* Duci de *Crayburg* eam desponsauit, cui Duci nati sunt per eam quatuor filij: *Bernhardus* Dux *Carinthia*, *Engelbertus* Marchio *Istria*, *Hartvicius* postea *Katisponen*. Episcopus & Comes *Rapoto* de *Crayburg* de quib⁹ propter nationis compendium modò tacebimus; defuncto verò Comite *Vlrico Alheidis* Comitissa denuò vidua, *Berngero* Comiti de *Sulzpach*, tunc etiam viduo tertio nubens, ministeriales & patrimonia duorum Comitum sicut erga maritos suos erat deuotissima sub tali conditione, scilicet vt ex vno illorum Cœnobium ipsis adhuc viuentibus, sicut prædictum est, construeretur, liberè donauit. Milites autem Comitissæ *Vlrici* in manus alienæ ditionis se transferri æquanimiter non ferentes vsque ad retractionem huius facti repugnare non cessabant & tamen consensu Comitissæ hac donatione remissa omni tempore quo Domina eorum aduixit marito eius quemadmodum juris ratio exigebat debitis obsequiis deferentes, nihilominus adhæserunt, dumque jam sæpius iteratam monasterij constructio longa dilacione protraheretur superuenit dies pro *Alheidis* Comitissa viam vniuersæ carnis ingressura à mortis prænunciâ corripere infirmitate, jamque in suprema laborans ægritudine accersito ad se Comite suæ in ipsum fidei deuotionem ad memoriam eum reuocare coegit, replicans ei quod duorum Comitum patrimonia, licet ipse vnum sponte remiserit in suam transfulerit ditionem, & vt laudamentum de constructione monasterij multotiens ab eo sibi factum, & vt votum primi conjugis sui quo eum ad iurauerat ad effectum perduceretur, copiosa precum & lachrimarum effusione prout poterat expetebat. Qui vt erat ad promittendum paratior in continenti verbum ex ore eripiens & primam & vltimam petitionem ipsius affectu & effectu se profecuturum verissime porrecta dextera pollicetur. At illa objiciens testamentum matris suæ *Irmigardis* simili de causa per desidiam suam adhuc in irritum remanere, antè non destitit, donec ipso Comite cum duodecim ministerialibus electissimis iurejurando se obligantibus certissimè confirmatum est, non prius eam sepulturæ commendari, antequam Cœnobium sub patrocinio beate *Margarethe* secundum quod piæ memoriæ *Marquardus* Comes per eam fieri primitus instituerat fundaretur. His ita dispositis *Alheidis* Comitissa post felicem vitam beato exitu defungitur in Domino, quam Comes iuxta Capellam suam in *Sulzpach* ipsa terra propter iusjurandum, quo se cum suis obligauerat, sepulchri causa non effossa, sed humo aliunde apportata fecit operiri, vbi per duodecim annos requiescens legitima caruit sepultura: vnde ministeriales grauiter commoti, omnes in commune Dominum suum aggressi attentissimè supplicantes quatenus & salutis suæ causa & ne simul cum eis ad vltimum periturus inueniatur, testamentum matris suæ jam diu neglectum, satageret adimpleri. Illis ergo assidua interpellatione frequenter & acriter instantibus, Comes omnibus suis in locum qui *Rordorf* dicitur conuocatis tractare cœpit de duarum conjugum suarum testamentis, proponens eis quod è duobus vnam consilio inter se habito salubrius esse discernent, aut duo Cœnobia sicut ipse laudauerat de prædiis ad hæc deputatis, licet rerum & personarum penuriam habentia, aut vnum sine vtriusque defectu construi, rebusque & mancipiis coadunatis honorificè dotari, quibus vnam Ecclesiam cum copia quàm duas cum inopia fundari sanius esse iudicantibus. Comes Capellanum suum *Arnolphum* sacerdotem cum illis duodecim qui se

vnâ cum ipso iuramento astrinxerunt ad montem qui tunc & nunc *Baumburg* appellatus est dirigens, considerato hinc inde diligentissimè loco, fecit metiri spacia, primo vbi fabrica templi decentissimè poneretur; deinde claustrum ambitorium & fratrum habitacula; postremò dispositionem officinarum congrue ordinari. Edificatione verò templi ordinata, C. *Salzburgen*. Archiepiscopus natione *Saxo*, ad dedicandum hoc ipsum Monasterium adueniens, peracta dedicatione rogatu *Bergeri* Comitis ejusdem templi fundatoris locum *Berchtolsgad*, in quo *Irmigardis* Comitissa quatuor fratribus cellulam fieri, dum adhuc viueret instituit, cum omnibus appendiciis suis super altare beate *Margarethe* verbo auctoritatis suæ assignauit, & præterea si quid tamen super hujus verbi confirmationem valere potuit, ipse Comes cuius ditioni vterq; locus prius liberè attingebat traditionali iure delegauit. Beate igitur memorie *Adelheidis* Comitissæ, eius sagaci sollertia Ecclesia *Baumburg* hoc vt diximus ordine est fundata, tunc demum legitimè traditur sepulturæ. Transactis verò aliquot annis prædictus Archiepiscopus, & totale & traditionale ius per secula sanctum, non metuens infringere locum *Berchtesgaden*, si tamen potuit vel debuit præter *Baumburgensis* Ecclesie assensum, pristina libertati donauit. Inde nouerint omnes fideles, nisi visis & auditis nulla sit fides adhibenda, & quodcumque testamentum huic simile non tamen duorum aut trium nec centum vel mille testium, verum etiam innumeræ gentis contestatione publice approbatum, priuatim & clam sit reprobandum, & vt totam juris regulam comprehendam, omne rationabiliter statutum præter rationem sit destituendum locum *Berchtesgaden* Ecclesie *Baumburgensis* non impari jure quam matri filiam attingere; dignitas enim Romani apicis non minimè in hoc contemptam se esse doleat, quod auctoritate patroni sui, eo tempore sibi præsentis *Pascalis* videlicet piissimi pastoris ea quæ præfatus Comes de vtroque, vnde sermo agitur loco supramemorato suo Capellano *Arnoldo* ad Romanam sedem ob hoc ipsum directo verbo summi Pontificis sanciri postulauerat, eodem Capellano causam & ordinem facti sibi veraciter deponente, in quantum virtute apostolica stabiliri poterat firmissimè solidata, contra omnem iustitiæ normam inferioris dignitatis præsumptione per se ipsam & quanquam iuste confirmata, post ad libitum suum contra jus infirmante irreuerenter & temerè sunt soluta, maximè cum indicio de omnibus his capiendæ veritatis, Ecclesia *Baumburgensis* annuatim aureo denario Romanæ Ecclesie censualis esse teneatur, ob testamentum scilicet singularis prærogatiuæ quod eadem Ecclesia sibi ad confirmationem eorum, quibus tam dotata quam ditata fuerat à matre Ecclesiarum libertatis priuilegio meruit insigniri.

PASCALIS Episcopus Seruus Seruorum Dei dilecto filio *Eberbino* Præposito Ecclesie sanctæ *Margarethe* quæ sita est in loco *Baumburg* in *Salzburgen*si parochia, & eius fratribus Canonicam ibi vitam professis, tam presentibus quam futuris in perpetuum. Sicut in iusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, sic legitima desiderantium non est differenda petitio: *Perengarius* siquidem Comes *Salzbachensis* in *Salzburgen*si pago, allodium suum beato *Petro* & sanctæ eius Romanæ Ecclesie obtulit, sub vnus aurei censu annuo, in quo beata *Margarethe* Ecclesiam construens locum ipsum Canonicorum regularium ordini deputauit. Nos igitur iuxta fundatoris deuotionem locum ipsum sub beati *Petri* patrocinium assumentes, presentis decreti auctoritate munimus, statuimus enim vt vniuersa quæ vel per prædictum Comitem vel per alios fideles de iure proprio loco eidem concessa sunt, quæcumque etiam in futurum concessione Pontificum, liberalitate Principum, oblatione fidelium, vel aliis iustis modis illiciti dari,

dari, offerri uè contigerit, firma vobis vestrisq; successoribus & illibata permaneant. Decernimus ergò vt nulli omninò hominum liceat eandem Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuerè, vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum sustentatione & gubernatione cõcessa sunt vsibus omnimodis profutura. Obeunte te nunc eius loci Præposito, vel tuorum quolibet successorum; nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilij sanioris secundum Dei timorem regulariter prouiderint eligendum, sanè post professiones exhibitas nemini vestrum liceat proprium quid habere, nec sine Præpositi vel Congregationis licentia de claustro discedere: decimas verò noualium vestrorum vobis vestrisq; successoribus habendas, remota Episcopaliū ministrorum contradictione concedimus, vt quietè in eo quod assumpsistis proposito largiēte Deo in perpetuum maneatis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temerè venire temptauerit, secundo tertio uè commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisq; sui dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus, sit pax domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ accipiant operationis, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei. Dilecto filio *Marsilio* Præposito Ecclesiæ sanctæ *Margarethæ* de *Baumburg* eiusq; fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis in perpetuum. Quotiens à nobis petitur quod honestati & religioni conuenire dinoscitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum suffragium impartiri. Vnde quia *Berengarius* Comes *Sulzbachen* allodium suum in *Salzburgen* territorio beato *Petro* & sanctæ Romanæ Ecclesiæ sub vnus *Bizantij* annuo censu pia deuotione obtulit, in quo in honorem Dei & memoriā beatæ *Margarethæ* virginis ecclesiam vestram construens eam ordini Canonicorum regularium deputauit. Nos sequentes vestigia prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum *Paschalis*, *Honorij*, *Innocentij*, *Lucij*, secundi & *Lucij* tertij, locum ipsum quoniam beati *Petri* iuris existit, sub beati *Petri* & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus. In primis siquidem statuētes vt ordo Canonicus qui secundum Deum & beati *Augustini* regulam institutus esse dinoscitur perpetuis ibidem temporibus inuolabiliter obseruetur. Præterea quascunq; possessiones, quæcunque bona eadem ecclesia in præsentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium seu aliis iustis modis, præstante domino poterit adipisci, firma vobis vestrisq; successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis. Archidiaconatum, Parochiam sancti *Georgij* Ecclesiam sancti *Ioannis* in *Fruchtla- chingen*, *Fralestorf* cum pertinentiis suis, *Fünigen* cum pertinentiis suis, *Var- naspacht* cum pertinentiis suis, *Meglingen* cum pertinentiis suis, *Windbret* cum pertinentiis suis. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse decernimus vt eorum deuotioni & extremæ voluntati qui se illic sepeliri deliberauerunt, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Salua ta-

men iustitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum corpora assumuntur. Liceat etiam Præposito qui pro tempore fuerit aduocatum quem eidem loco perutilem & necessarium esse perspexerit communi vel sanioris partis fratrum consilio secundum Deum eligere, & si inutilis apparuerit remouere, sicut à prædecessoribus nostris felicis recordationis, *Pascali, Honorio, Innocentio, Lucio secundo & Lucio tertio* statutum esse & scripto suo firmatum. Obeunte verò e nunc eiusdem loci Præposito vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu vel fratrum pars consilij sanioris secundum Dei timorem canonicè prouiderint eligendum. Sane post professionem exhibitam, nemini vestrum liceat proprium quid habere, nec sine Præpositi vel Congregationis licentia de claustro discedere. Sua etiam tuorumque successorum caritati apostolicæ sedis benignitate permittimus & roboramus vt licitum vobis sit ordinationes clericorum, aliaque ecclesiastica sacramenta à bonis Episcopis & religiosis accipere, si vester Episcopus Symoniaca vel alia hæretica prauitate infectus fuerit, & gratiam sedis apostolicæ non habuerit. Ad iudicium autem huius ab apostolica sede perceptæ tuitionis Bizantium vnum singulis annis nobis nostrisque successoribus persoluetis. Insuper etiam vt domino nostro IESU Christo liberiori animo seruiatis, vestræ salutari per omnia providentes, statuimus vt serujentes vestri qui in curia vestra vobis seruiunt absque impulsione parochiant in ecclesia vestra verbum Dei & missas audiant, sacramenta percipiant, cæterisque diuinis legibus subiaceant. Decimas verò noualium vestrorum, vobis vestrisque successoribus habendas, remota Episcopaliu ministrorum contradictione concedimus, vt quiete in eo quod assumptis proposito, largiente domino in perpetuum maneatis. Decernimus ergo vt nulli omnino hominum liceat eandem Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt vsibus omnimodis profutura: salua sedis apostolicæ auctoritate ac Diocæsani Episcopi in subiectis vobis prædictis parochiis canonica iustitia. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostræ constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptauerit, secundo tertioque commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus, sic pax domini nostri Iesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen, Amen, Amen.



Ego Clemens Catholicæ ecclesiæ
Episcopus fl.



& Ego

- ✠ Ego Petrus presb. Card. tit. S. *Laurentij* in *Damaso* ff.
- ✠ Ego Petrus presb. Card. S. *Petri ad vincula* tit. *Eudoxia* ff.
- ✠ Ego *Iohannes* tit. S. *Clementis* Card. & *Tuscanen*, Episc. ff.
- ✠ Ego *Albinus Albanens*, Episcopus ff.
- ✠ Ego *Klr Portuenfis* & S. *Rufina* Episcopus ff.
- ✠ Ego *Octavianus Hostien.* & *Bellegen*, Episcopus ff.
- ✠ Ego *Iac* Diac. Card. S. *Mariae* in *Cosmydin* ff.
- ✠ Ego *Iohan. Felix* Diac. Card. S. *Eustachij* juxta templum *Agrippae* ff.
- ✠ Ego *Gregorius* S. *Mariae* in *Aquiro* Diac. Card. fs.

Dat. *Lateran.* per manum *Moyfi*, sanctę Romanę Ecclesię Subdiac. vicem gerentis Cancellarij, II. Id. Septembr. Indiçt. V III. Incarnationis⁹ Dominicę Anno M. C. L XXXV IIII. Pontificatus verò Domini *Clementis* PP. III. anno secundo.

Catalogus Monasterij *Baumburgensis*.

PRæpositorum qui ab illo tempore quo Romanus Pontifex *Paschalis* II. pontificatum gessit, ad nostram vsque ætatem vixisse ac Præpositos egisse inveniuntur.

EBERWINVS vixit circa annum à Christo nato 1100. huic Præposito *Paschalis* II. diploma tribuit in quo summus Pontifex Ecclesię S. *Margaretha* erectionem ac donationes per *Berengarium* Comitem *Sultzbachensem* factas confirmat, monasteriumque *Baumburgense* iurisdictioni atque patrocinio summorum Pontificum subiicit; hæc annexâ lege, vt Monasterium singulis annis nummum aureum (Bizancium) Romam summo Pontifici eiusq; successoribus, tanti beneficii testem gratissimum mittat.

Eberwinum secutus est **GODISCALCVS** circa annum 1127. Is priuilegiis à *Paschali* II. Monasterio ante datis, robur & incrementum à Romanis Pontificibus *Honorio* II. *Innocentio* II. & *Lucio* II. impetrauit.

MEINGOTVS successit circa annum 1183. Huius Præpositi & Archidiaconi curâ atque vigilantia inter cætera jura ac dona, Archidiaconatus quoque confirmatus, libera item sepultura, facultasque eligendi Aduocatam huic cœnobio per *Lucium* III. collata fuere.

MARSILIVS Præpositus & Archidiaconus, hic anno secundo Pontificatus *Clementis* III. secundo Idus Septembris, Indiçtione V III. ab eodem Romano Pontifice omnia & singula Monasterij jura ac possessiones, nominatim verò Archidiaconatum, Parochiam S. *Georgij* Ecclesiam. S. *Ioannis* in *Truchtaubinger Fralersdorf* cum pertinentiis suis, *Tuningen* cum pertinentiis suis, *Meglingen* cum pertinentiis suis, *Windberg* cum pertinentiis suis, liberam sepulturam, libertatem quoque eligendi Aduocatam, exemptionem ministrorum & decimarum. Hæc & alia per *Clementem* III. corroborari fecit. Vixit circa annum 1190.

HENRICVS Præpositus & Archidiaconus, legitur præfuisse circa 1215. annum.

EBERHARDVS Præpositus Archidiaconus succedit *Henrico* anno sequenti 1216.

VDALRICVS Præpositus Archidiaconus, reperitur in viuis fuisse anno 1251.

OTTO Præpositus Archidiaconus, rexit Cœnobium circa annum 1279.

Metrop. Salisb. Tom. III.

h a

FRI-